



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

LI. Der Päpstliche Legat Conrad legt einen Zwist bei zwischen dem Abte und den Pröpsten des Prämonstatenser-Ordens, am 29. November 1224.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

ambo dictorum conjugum carnis debitum exfolverint, ut major pro ipsis orandi excitetur devotio, Canonicis ecclesie nostre de pensione eorundem mansorum in cujuslibet anniversario videlicet dicti militis et ipsius uxoris ad refectorem ipsorum canonicorum annuatim magister ipsius hospitalis singulos decem solidos exfolvet et ut etiam pauperibus ad jam dictum hospitale confluentibus in eorundem anniversariis elemosina largior erogetur, dicti hospitalis magister in singulis anniversariis chorum unum annone in ipsorum pauperum usum expendet, residuum vero redituum de eisdem mansis provenientium in sepedicti hospitalis utilitatem convertendo. Adjectum est etiam in ipsa donacione, ut si altero dictorum conjugum mortuo alter superstes continenter vivere voluerit, eosdem mansos, quoad vixerit, quiete possideat. Si autem ad secunda matrimonia convolare voluerit, dicti mansi cum possessione et proventibus ad memoratum hospitale sine omni obstaculo prelibatis usibus transeant applicandi. Nos ergo hujus viri sancte devotioni, ipso petente, facilem prebentes assensum, quicquid nostri juris in ipsis mansis fore dignoscitur, de consensu capituli nostri sepedicto hospitali libero donationis titulo prescripto modo conferimus. Et ne quis dispositionem vel processum hujus facti temere presumat infringere, sub anathemate districte prohibemus, ita quod, quicumque de ipsis proventibus aliud ordinare ausu temerario presumpserit, ipso facto excommunicationis poenam incurrat. Cujus facti seriem super hoc conscriptam cum sigilli nostri munimine duximus roborandam, adhibitis ydoneis testibus, quorum nomina sunt hec: Alvericus prepositus, Henricus prior, Jacobus cellerarius, Heidenricus custos, canonici Brandeburgenses, Wilhelmus de Pritzerwe, Benedictus de Wostermarke, Amelricus de Plawe, Hildewinus de Buzowe, plebani; Badericus, burchgravius de Brandeburch, Arnoldus de Plawe, Conradus de Clicheke, Ernestus de Nydicem, Theodericus prefectus de Pritzerwe, milites, et alii quam plures clerici et laici. Actum anno domini anno M^o. CC^o. XX^o. indictione VIII^o.

Nach dem Original.

LI. Der Päpßliche Legat Conrad legt einen Zwist bei zwischen dem Abte und den Präpßten des Prämonstratenser-Ordens, am 29. November 1224.

Conradus, miseratione divina Portuensis et sancto Rufo episcopus, apostolice sedis legatus, omnibus in perpetuum. Cum causa verteretur inter abbatem et ordinem Premonstratensem ex una parte et prepositum sancte Marie Magdeburgensis, de gratia dei, de Lizeke, de Brandenburg, de Havelberg, de Ratzeborg, de Jerichow, de Collebeke, de Rothe, de Quiddelingborg, de Wida, de Polethe, de Gramzow, de Themnitz prepositos, ab ecclesia sancte Marie Magdeburgensis descendentes, ex parte altera super eo videlicet, quod idem abbas et conventus Premonstratensis prepositos prenominatos a prima plantatione religionis ordinis Premonstratensis asserbant debere convenire ad generale capitulum Premonstratense et communibus institutionibus ordinis obedire, partibus super hoc dissentientibus, cum a sede apostolica diverse super hoc litere ad diversos judices emanassent, tandem et spontanee consentientibus viris discretis, H. cantore et suis conjudicibus Metenensibus nec non et viro venerabili magistro Lodovico, procuratore reverendi patris, dei gratia Magdeburgensis archiepiscopi, ad componendum specialiter destinato, placuit partibus, in hanc formam pacis et concordie amicabiliter in nostra presentia

convenire secundum quod inferius est expressum, videlicet quod omnes prepositi supradicti tenebuntur ad generale capitulum Premonstratense accedere de triennio in triennium et ibidem facere obedientiam domino abbati Premonstratensi, excepto preposito Marie Magdeburgensis, de quo inferius est aliter ordinatum, ita tamen, quod obedientia illa non ligabit illos ad recedendum a consuetudinibus seu juribus, observationibus seu constitutionibus, quas antea habuerunt, nec per abbatem Premonstratensem, neque per capitulum recedere ab eisdem, imo suis conscientiis relinquentur, donec eis fuerit divinitus inspiratum, quod per omnia se velint ordini confirmare. Si autem predicti prepositi vel aliquis eorum ea, que predicta sunt, non observaverint, dominus Premonstratensis abbas ipsos per suspensionis et excommunicationis sententias puniet, si voluerit, et dominus prepositus sancte Marie Magdeburgensis ipsas sententias observabit et faciet observari, nec eis, si super hoc defendere voluerint, aliquod auxilium vel consilium exhibebit: prepositus siquidem sancte Marie Magdeburgensis non tenebitur facere obedientiam, sed prepositus de Gratia dei obedientiam faciet manualement, sicut alii prepositi supra dicti. De coercione autem istorum duorum prepositorum videlicet sancte Marie Magdeburgensis et de Gratia dei sic ordinatum est, quod, si ad capitulum ambo vel alter eorum non venerit, sicut supra dictum est, dominus abbas Premonstratensis significabit venerando patri, dei gratia Magdeburgensi archiepiscopo, per literas suas, ut puniat per sententias suspensionis et excommunicationis eosdem. Quod si non fecerit idem archiepiscopus, infra tres menses a receptione literarum abbatibus vel capituli Premonstratensis, extunc abbas Premonstratensis ipsos puniet, sicut supra dictum est de coercione aliorum prepositorum, ita tamen, quod propter hoc, videlicet quod non venerint, dictos duos prepositos vel alios prelatos a prelatione vel administratione amovere non possit. Hoc etiam adjectum est et conventum, quod, quamdiu fuerint tam ipse prepositus sancte Marie Magdeburgensis, quam etiam omnes prepositi supradicti citra Premonstrate ad tres dietas sive eundo ad capitulum sive redeundo a capitulo sive alio modo moram fecerit circa Premonstrate, ad tres dietas conformes erunt ceteris professoribus ordinis in habitu et in victu, et hoc nihilominus conductum fuit a partibus est statutum, quod si aliquam ecclesiam Premonstratensis ordinis intraverint, citra Rhenum, versus Premonstrate, ibidem manentibus se in victu et habitu conformabunt. Si que autem ecclesie in posterum a predictis vel sub predictis ecclesiis plantate fuerint et fundate, prelati ipsarum ecclesiarum sub ipsa forma compositionis, qua prelati alii a prepositis sancte Marie Magdeburgensis et de Gratia dei comprehenduntur. Si vero abbas vel capitulum Premonstratense ab ipsa compositione resilierint, tam prepositus sancte Marie Magdeburgensis quam omnes alii prepositi supra dicti ac eorum ecclesie ab omni subjectione et impetione abbatibus vel capituli Premonstratensis erunt in perpetuum penitus absoluti. Et si prepositus sancte Marie Magdeburgensis vel alii prelati ecclesiarum supra dictarum ab hac compositione resilierint, abbati et ordini Premonstratensi, sicut et alii abbates et professores ejusdem ordinis erunt omnino subjecti et in observandis ordinis uniformes. Preterea notandum est, quod prepositus sancte Marie Magdeburgensis omni juri, quod habebat vel habere poterat in Vesceren et Arnersteden ecclesiis renunciavit omnino et quantum in eo est abbati et capitulo Premonstratensi remisit. Partes etiam omnibus instrumentis liti super predicta causa obtentis renunciarunt ex toto. Hanc igitur compositionem, in vitam de bona partium voluntate, auctoritate nostra et ex injuncto nobis legationis officio confirmamus. Et ne super hoc in posterum aliqua possit dubietas suboriri, sigilli nostri impressione presentem paginam fecimus communiri. Acta sunt hec Metis III. Kal. Decembris anno incarnationis dominice M. CC. XXIII.

Nach der Copie im Copialbuche.